



BOLETIN ECLESIASTICO

DE LOS OBISPADOS DE

SALAMANCA Y CIUDAD-RODRIGO.

SSMO. DNO. NTRO. PIO PP. IX.

BEATISSIME PATER.

Benignissimus Deus qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, etiam in præsentiarum sinit imbecillitatem meam Beatitudini Vestræ gratulari pro jam incepto suscepti á Te Apostolatus officii anno vigesimo nono. Huic exultationis motivo nova gratia, novumque Ecclesiæ á Deo collatum beneficium nunc adjicitur, eo quod fugato morbo, quo paucis abhinc diebus Sanctitas Vestra laborabat, in pristinam sanitatem restituta fuerit. Sic Deus, etiam hac vice, Ecclesiæ inimicos irrisit, dum sublato é vivis universali Pastore, catholicum gregem in diversas partes dispersum iri sperabant. Insani!..... Jam gravem Romani Pontificis morbum quatuor mundi plagis thelegrapho nuntiabant. Jam imminentem mortem prævidebant. Idque totum ex levi Sanctitatis Vestræ infirmitate. Quomodo, ridicule ut solent, trepidaverunt timore, ubi non erat timor!... Ast Deus eorum tela nequissima dissipavit, totiusque Orbis catholicos exhilaravit.

Gratiæ et laudes pro tot tantisque beneficiis sint Omnipotenti Deo. Quibus novum ut adjungat ardentem cupimus ac precamur; scilicet, ut Sanctitatem Vestram ad multos annos incolumem servare dignetur, ut illam á captivitate inimicorum suorum, et tribulationibus quibus nunc premitur mox eripiat,